



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

IX. Quod Presbyteri Societatis Jesu Officium cum Octava de præcepto, &
Missam Conceptionis B. Mariæ Virginis recitare, & celebrare valeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

al Definitorio in Capitulo, o Congregatione Provinciale due de loro Riformati accio da esso Definitorio uno de due proposti sii eletto Guardiano per l'anno corrente.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio sub-jungebat soel. record. Alexander Papa VII. Prædecessor noster supra scripta Capitula ad se relata per Decretum die 21. Septemb. 1657. emanatum approbaverit, & ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari præceperit, dicti verò Exponentes eadem Capitula quo firmitus subsistant, & serventur exactius etiam Apostolicæ nostræ confirmationis munimine roborari summoperè desiderent.

Confirmat prout in Rubrica.

§. 4. Nos specialem ipsi Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum præsentium tantum consequen. harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, audita relatione status hujus Reformationis, ejusque Conventuum necessitate perspecta, omnia, & singula Capitula præinserta, emanatumque super eorum approbatione d. Alexandri Prædecessoris decretum hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Decernentes easdem præsentibus literas, ac Capitula præinserta, & decretum hujusmodi semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dicti Ordinis, ejusque Provinciarum, & Conventuum, quorumvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dar. P. An. die 16. Sept.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 16. Septembris 1667. Pontificatus Nostri anno primo.

I X.

Quod Presbyteri Societatis JESU Officium cum Octava de præcepto, & Missam Conceptionis B. Mariæ Virginis recitare, & celebrare valeant.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

A Uguissimæ, atque Gloriosissimæ Virginis Dei Genitricis Mariæ cujus virtutem, & pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, natura obstupescit, Infernus contremiscit, cultum, & venerationem in terris quanto possumus studio promovere satagentes, pia fidelium, eorum præsertim, qui Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipati, aliis ad opera pietatis exemplo prælucent, & salubri directione viam monstrant, vota in id ipsum tendentia libenter exaudimus, ac favoribus, & gratis prosequimur opportunis.

Exordium.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Joannis Pauli Olivæ Præpositi Generalis Societatis JESU tam suo, quam totius Societatis prædictæ nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ut in eadem Societate ab omnibus illius Presbyteris, & Clericis Regularibus, qui horas canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ cum octava in posterum de præcepto recitetur cum lectionibus in octavario Romano à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum approbato contentis, & à die octava ad decimam quintam Decembris ritè dispositis auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus; Idemque Officium ad usum dictæ Societatis seorsim ab octavario Romano imprimi posse concedimus.

Concedit prout in Rubrica.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo memorati Præpositi Generalis, aut alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsi adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 17. Septem. 1667. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Dar. P. An. die 17. Sept.

Confirmatio Privilegiorum omnium concessorum, tam Guardiano Sacri Montis Sion, quam Fratibus, necnon locis Terræ Sanctæ.

X.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

P IIS Christi fidelium votis, ex quibus Sacrorum locorum venerationem, & animarum salutem provenire conspicimus libenter annuimus, & illa quantum Nobis ex alto conceditur favoribus Apostolicis confavemus.

Edita An. D. 1667.

Proœmium.

§. 1. Cum itaque sicut dilectus filius Ludovicus à Justitia Frater expressè professus Provincie Granaten. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, ac Prædicator Verbi Dei, necnon Commissarius, ac Procurator Generalis in Romana Curia totius Familiæ Terræ Sanctæ Nobis nuper exponi fecit ipse ad eisdem Terræ Sanctæ subsidium, eorundemque Fratrum inibi vineam Domini assidue excolentium, sacraque loca veneran. subventionem, necnon ad spiritualem Catholicorum in illis partibus degentium, eoque devotionis causa peregrinantium consolationem, & profectum omnia, & singula gratias, privilegia, & indulgentias hujusque sacris ejusdem Terræ Sanctæ locis Apostolica auctoritate etiam confirmari, & approbari plurimum desideret.

Supplicatio.

§. 2. Nos desiderio hujusmodi annuere, ipsum-

Que omnia confirmat.

que